

1589 didisse : regias quidem vices in iis que ad regni statum negotiaque spectant, non in iis que ad commissa ab Rege delicta fatenda expiandaque pertinent, obire posse : itaque primum Dei Optimi Maximi auxilium Henricus imploret, inde ad eum ut illius in terris vices obtinentem confugiat, veniam flagitet, ex animo pœniteat, ore proprio ejusmodi officia praestet : si secus faciat, postulatis nunquam assensurum.

Erant in purpuratorum collegio, pauci licet, in Gallos propensi, variisque ex causis ei regno obnoxii, qui Henrico favebant. Erant qui penitus secum ipsi reputabant, quantum in gravissimo negotio, ex quo in universa christiana republica magnarum rerum mutatio consequi poterat, mature consulendum decernendumque censerent. Ad hos conversus Pontifex, mirari, inquit, tantum apud eos privatos affectus posse, ut sibi non animis subjiciant, si ejusmodi delictum inultum maneat, Ecclesiae existimationem prosterni, Apostolicæ Sedis auctoritatem labefactari, sacrum Senatum proculcari, non dignitatem, non fortunas, non vitam amplissimi ordinis tutam fore : quocirca cum Divinæ providentiae permisso insuetum illud atque horrendum facinus sui pontificatus tempore acciderit, nulla re perterritum, quidquid jus, quidquid Dei Optimi Maximi honor & cultus, quidquid Ecclesiae dignitas atque incolumentas exposcat, intrepide facturum. Verum cum imminentes nobilissimo regno tempestates mente præ sagiret, id cupere se Xystus haud obscure significabat, ut, Borbonio Cardinali, Lugdunensiique Archiepiscopo captivis dimissis, errati pœnitentia ductus a se Henricus veniam peteret. Itaque illum literis & officiis ad id sedulo solicitabat. Ad hæc Henricus, Cardinali dimisso, graviores motus ac turbas in Gallia suborituras affirmare, Lugdunensem in sua potestate non esse ; Gastium, cui una cum Ambosiana arce captivorum custodia concredata fuerat, cum Archiepiscopo, Nivellio præside, mercatorumque præposito, ut numerata certa pecuniæ summa, statim dimitterentur, pepigisse. Contra Pontifex, excusationibus non admissis, saltem Borbonum Mauroceno legato custodiendum tradi petebat: eo facto Regis timori opportune provisum iri. Sed neque his Henricus adsentiebatur: alteri traditum fuga sibi consulturum.

In-